

Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.

Tekst oficjalny

Commune incliti Poloniae Regni privilegium constitutionum et indultuum publicitus decretorum approbatorumque, ed. I. Lascius, Cracoviae 1506, k. 195

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuł 123 [Gn. 112]

[123] De iurisdictione et iure per cesarem civitatibus et mercatoribus dato.

Tunc mercatores dicebant ad imperatorem, quod libenter scire vellent, in quo permanere possent. Et iudicavit ipsis imperator cum consilio Romanorum ad aquas navipotentis, quod edificarent sibi civitates firmas cum muris et turribus. Tunc populus dicebat ad imperatorem, quod libenter scire vellent, quo iure stare deberent. ^[1] Extunc imperator dedit ipsis tale ius, quale cottidie in sua curia solebat habere. Et hoc confirmavit eis cum consilio Romanorum et cum veridicis signis. Et suam manum exhibuit, quam apprehendit quidam mercator, et dexteram cirothecam de manu sibi deposuit, super quo pax beati Petri ipsis confirmata fuit. Quod hucusque permanet in exemplum, ubi nove civitates edificantur aut fora, quod ibi crux ponitur super forum. In eo probatur et apparet, quod cum voluntate regis est factum. Sic ex quo municipale ius ab antiquo usque huc permansit et ab Imperio confirmatum nomen obtinuit usque ad diem presentem.

¹ *na marginesie*: Hoc ius civile est imperiale ius.

[hasła: kupiec, cesarz, rzymianin, św. Piotr, miasto, rynek, krzyż, wola, król]